

Omelia VIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.25ra-27vb)

Et ingredienti domum, uiderunt puerum cum maria matre eius.

Qualiter igitur ait lucas, quia in presepe iacens erat? Quoniam pariens quidem, **confestim** ipsum declinavit illuc, ceu enim multis conuenientibus propter descriptionem, non erat domum inuenire, quod nempe et lucas designat dicens. Quoniam propterea quod non erat locus, declinavit ipsum, postea autem eduxit, et super genua habebat. Simul enim deuenit bethleem, et pressuras soluit, ut discas et hinc dispensationem uniuersam, et quia non simpliciter neque ut contigit haec efficiebantur, sed secundum preuidentiam quandam diuinam, et prophetiae consequentiam haec omnia complebantur. Sed quid fuit quod suasit eis adorare? Neque enim uirgo insignis erat, neque domus preclara, neque aliud quid eorum qui uidebantur, sufficiens erat stupefacere, et euellere. Hii autem non solum adorant, sed et aperientes thesauros suos dona adducunt, et dona non ut homini sed ut deo. Incensum enim et myrra, huius symbolum id est signum erat. Quid igitur fuit quod suasit eis, quid quod preparauit a domo surgere et tantam uenire uiam? Hoc autem fuit, et stella, et illuminatio quae a deo facta est in mente eorum. Paulatim eos ad perfectiorem dirigens cognitionem. Neque enim utique nisi hoc esset, his quae apparebant uilibus existentibus omnibus, tantum demonstrassent honorem. Propter hoc enim, nichil sensibilibus magnum erat illic, sed presepe et tugurium, et mater pauper, ut nudam magorum uideas phylosophiam, et discas quia non ut homini nudo, sed ut deo et benefactori aduenerunt. Ideoque in nullo eorum quae uidebantur exterius scandalizabantur, sed et adorabant, et dona adducebant. Quae a iudaica quidem libera erant crossitie. Non enim oues et uitulos sacrificarunt, aecclesiasticae autem prope erant philosophiae. Recognitionem enim et obedientiam, et amorem, ipsi offerebant. Responso autem accepto in somnis ne redirent ad herodem, per aliam uiam recesserunt in regionem suam. Intuere et hinc fidem eorum, qualiter non scandalizati sunt, sed sunt refrenati et bone mentis, et non tumultuantur, neque **excogitant** in seipsis dicentes. Et nimirum si magnus est puer hic et habet quandam uirtutem, quae necessitas fugae est et occultae recessionis. Et cur nos qui manifeste uenimus, et audacter ante tantam plebem, et regis insaniam stetimus, ut miseros et fugaces emittit angelus a ciuitate? Sed nichil horum neque dixerunt neque excogitauerunt. Hoc enim est fidei, non querere **noxias** eorum quae precipiuntur, sed suaderi solum ab his quae iniunguntur. Recedentibus autem eis ecce angelus apparet ioseph in somnis dicens. Cum surrexeris accipe puerum et matrem eius, et fuge in aegyptum. Dignum hic aporiari id est querere et pro magis et pro puero. Si enim illi non turbati sunt sed cum fide omnia susceperunt, dignum est nos querere propter quid non presentes saluantur illi et puer. Sed hii quidem in persidam, hic autem in aegyptum fugatur cum matre. Sed quid oportuit ipsum incidere in manus herodis, etsi incidisset non **dilaniari**? Sed non estimatus esset, carnem assumpsisse. Non utique credita esset dispensationis magnitudo. Si enim cum tot efficerentur, et multa humanae dispensarentur, ausi sunt quidam dicere quia fabula est carnis assumptio, in quam non incidissent impietatem, si omnia diuine et secundum suam uirtutem fecisset? Magos autem emittit uelociter, simul quidem doctores mittens persarum regioni, simul autem abscondens tyranni insaniam, ut discat quod non perficiendas res temptat, et furorem extinguat, et ab inani hoc labore eum abducat. Non solum enim audacter uincere inimicos sed et

Commented [ND1]: [fol.25rb]

Commented [ND2]: [fol.25va]

Commented [ND3]: uel causam add. super lin.

Commented [ND4]: uel incidi add. super lin.

cum facilitate eos decipere, uirtutis eius est dignum. Ita itaque et aegyptios in iudeis decepit, et potens manifeste illorum diuicias in ebreorum transponere manus, occulte et cum deceptione hoc iubet facere, quod non minus aliis signis, manifestum ipsum apud aduersarios fecit. Ascalonite denique et reliqui omnes cum arcam accepissent et plaga percussi essent, ex tunc suadebant propriis non preliari, neque ex aduerso stare. Et cum aliis miraculis et hoc in medium induxerunt dicentes, ut quid grauat corda uestra quemadmodum grauauit aegyptiis et pharao. Nonne cum illis tunc emisit populum suum et abierunt? Haec autem dixerunt, aliis signis quae manifeste facta sunt, non minus et hoc estimantes esse, in demonstrationem uirtutis et magnificentiae eius, quod nimirum et hic factum est, sufficiens fuit stupefacere tyrannum illum. Intellige enim qualia pati dignum fuit herodem, et qualiter suffocari deceptum et ita derisum a magis. Quid enim est si non factus est melior? non accusationis eius qui haec dispensauit, sed insaniae illius est superhabundantia, non obedientis his quae poterant eum mitigare, et remouere ab iniquitate, sed ultra procedentis, ut et difficiliorem talis amentiae suscipiat condemnationem. Et cur ait in aegyptum puer mittitur? Maxime quidem et aeuangelista causam dixit, ut impleatur enim ait quia ex egipto uocauit filium meum. Simul autem et benigne spei proemia, ex tunc orbi terrarum prenuntiabantur. Quoniam enim babilonia et egiptus, maxime super omnes terras flamma impietatis erant accensae, ex proemiis monstrans quia utrasque dirigit et meliores faciet, et suadens per has, et de uniuerso orbe terrarum bona exspectare, quia huic quidem magos misit, illam autem ipse adiuit cum matre. Cum predictis autem et aliud hinc erudimur, non parum ad philosophiam nobis conferens, quale utique est hoc? Ex proemiis temptationes et seditiones exspectare. Vide itaque a fasciis ipsis confestim hoc esse factum. Etenim nato ipso, et tyrannus insanit, et fuga sequitur et transmigratio exultationis fit, et mater pia, nichil inique agens, ad barbarorum effugatur regionem, ut tu haec audiens cum statutus fueris ministrare alicui spirituali rei, deinde si uideris teipsum patientem intolerabilia et decem milia sustinentem pericula, non turberis, neque dicas, quid unquam hoc est? Et denique coronari me oportebat, et predicari, et clarum esse et spectabilem, preceptum complementem dominatoris. Sed habens hoc exemplum, feres omnia uiriliter, sciens quoniam maxime haec est spiritualium consequentia, ubique temptationes coheredes habere. Vide itaque non in matrem pueri hoc factum esse solum, sed et in barbaris illis. Etenim illi occulte recedunt in ordine fugacium, et ipsa rursus quae numquam longe a domo recesserat, ita miserie uiam sustinere iubetur, propter mirabilem hunc fetum et spirituales pressuras. Et inspicere paradoxum id est inopinabile rursus, palestina quidem insidiatur, egiptus autem suscipit, et saluat eum qui insidiis subiciebatur. Non enim utique solum in pueris patriarchae, typi contingebant, sed et in ipso dominatore. Multa denique eorum quae postea contingere debebant, praenuntiabantur per ea quae ab ipso fiebant tunc, quod et de asina et de pullo factum est. Apparens igitur angelus, non mariae sed ioseph loquitur. Et quid ait? Surgens accipe puerum et matrem eius. Sic non adhuc dicit mulierem tuam, sed matrem eius. Vbi enim foetus exiuit, et suspicio soluta est, et uir fidelis factus est, audacter ex tunc loquitur angelus, neque puerum neque mulierem eius uocans, sed puerum et matrem eius et fuge in aegyptum. Et causam dicit fuge. Futurus est enim herodes ait, querere animam pueri. Haec audiens ioseph, non scandalizatus est, neque dixit enigma res est. Tu prius dicebas quoniam saluauit populum suum, et nunc neque seipsum saluat, sed fugae nobis est necessitas, et absentiae et longe transmigratio? contraria promissionis sunt quae fiunt. Sed nichil horum dicit. Fidelis enim erat uir. Neque circumscribitur reuersionis tempus, et maxime cum angelus indeterminate id posuerit. Vsque enim dum dicam tibi, sta illic. Sed tamen neque in hoc etorruit sed obedit, et suadet, omnes cum gaudio temptationes sustinens. Etenim amator hominum deus, laboribus his et uoluptuosa commiscuit, quod et in omnibus sanctis facit. Neque pericula,

Commented [ND5]: [fol.25vb]

Commented [ND6]: initia add super lin.

Commented [ND7]: babiloni add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.26ra]

Commented [ND9]: uel monachari add. super lin.

Commented [ND10]: ne dicas add. super lin.

Commented [ND11]: Maria add. super lin.

Commented [ND12]: [fol.26rb]

neque remissiones continuas ponens, sed et per haec et per illa, subtexens iustorum uitam, quod utique et hic fecit. Intuere enim uidit concipientem uirginem, in turbationem ipsum et ultimum tumultum inmisit hoc. In adulterium enim incidisse puellam suspicatus est, sed adstitit confestim angelus, et suspicionem soluens et timorem hunc destruens, et puerum natum uidens, gaudium fructificauit maximum. Rursus gaudio huic periculum non paruum succedit, ciuitatis turbate, et regis furentis, et eum qui natus fuerat querentis. Sed tumultui huic aliud rursus succedit gaudium, stella et magorum adoratio. Rursus post uoluptatem hanc, timor et periculum. Querit enim ait herodes animam pueri, et oportet fugere et humane transmigrare. Miracula enim operari interim non oportebat. Si enim ex prima etate miracula demonstrasset, neque utique estimatus esset homo esse. Propterea neque simpliciter templum plasmat, sed conceptio fit, et nouem mensium tempus, et pressura et natiuitas, et oblectationes, et quies per omne tempus, et expectat etatem decentem uiris, ut per omnia facile susceptibile efficiatur dispensationis mysterium. Cur igitur et haec signa facta sunt ait a principio? Propter matrem, propter ioseph, propter symeonem, futurum abire ex reliquo. Propter pastores, propter magos, propter iudeos. Si enim uoluissent intendere cum diligentia his quae efficiebantur, non parua et huic utique ad ea quae futura erant fructificassent. Si autem neque dicunt prophetae ea quae de magis sunt, ne turberis. Neque enim omnia predixerunt, neque omnia siluerunt. Quemadmodum enim nichil preaudientem uidere aduenientes res, multum faceret stuporem et tumultum, ita et omnia discere dormire faceret auditorem et aeuangelistis, nichil amplius dimitteret. Si autem de prophetia dubitant iudei dicentes, ex aegypto uocauit filium meum de ipsis dictum fuisse, dicemus utique ad eos, quoniam et haec prophetiae est lex, multa multociens dici quidem de aliis, compleri autem in aliis, puta quod de symeon et leui dictum est. Partibor enim eos in iacob, et disseminabo eos in israel. Et profecto non in ipsis hoc factum est, sed in nepotibus, et quod de chanaan a noe dictum est, in gabaonitis nepotes chanaan euenit, et quod de iacob fuit, ita uidebit aliquis utique contingens. Benedictiones enim ille quae dicunt fias dominus fratris tui, et adoret te filii patris tui, non in ipso finem acceperunt. Qualiter enim formidante ipso et tremente, et decemmilies ipsum adorante? sed in nepotibus eius, quod utique et hic aliquis dicit. Quis enim uerior filius dei dicitur, qui uitulum adorat et behelfegor perficit, et filios sacrificat demoniis, uel qui natura filius est, et eum qui generauit honorat? Quare nisi aduenisset hic? non utique prophetia finem decentem accepisset. Vide itaque qualiter id et aeuangelista enigmatace insinuat dicens, ut impleatur, monstrans quod non utique impletum esset, nisi aduenisset. Non autem ut contigit uirginem claram et illustrem hoc facit, quodcumque habebat plebs uniuersa in laudis ordine, hoc et ipsa ergo habere poterat. Quoniam enim magna sapiebant et gloriabantur in aegypto reuersione, quod ergo et propheta enigmatace insinuans dixit, non allophilos reduxerunt ex cappadocia, et assyrios ex gurgite, facit et uirginis esse primatum hunc. Magis autem et populus et patriarcha descendentes illuc, et ascendentes inde, ascensus huius typum complebant. Etenim illi mortem fugientes quae erat a fame, descenderunt, et hic mortem quae erat ex insidiis. Sed illi quidem descendentes, a fame tunc liberati sunt. Hinc autem descendens, regionem omnem per ingressum sanctificauit. Intuere itaque qualiter in medio humilium, et ea quae deitatis sunt reuelantur. Etenim angelus dicens, fuge in egyptum, non iniunxit eis simul cum iterantibus ire, neque cum descenderent, neque cum ascenderent. Enigmatacae insinuans, quod magnum habent coiteratorem, natum puerum. Qui et res omnes transmutauit mox cum apparuit, et inimicos preparauit, multa ad dispensationem hanc amministratum ire. Etenim magi et barbari, paternalem religionem relinquentes, ueniunt adoraturi, et augustus famulatur ei qui ex bethleem est fetui, per preceptum descriptionis. Egyptus saluat fugientem, et insidias patientem suscipiens, et accipit quandam eius quae ad ipsum est familiaritatis occasionem, ut cum eum predicatum ab apostolis

Commented [ND13]: [fol.26va]

Commented [ND14]: incarnationis add. super lin.

Commented [ND15]: uel abscessurum add. super lin.

Commented [ND16]: uel oues add. super lin.

Commented [ND17]: [fol.26vb]

Commented [ND18]: [fol.27ra]

audierit, et in hoc decoretur ceu ipsum prima suscepit, et non palestine solius fuit hic primatus, sed ipsa callidior facta est illa.

Et nunc ueniens in heremum aegypti, paradyso omni meliorem heremum hanc, uidebis esse effectam. Et choro angelorum infinitos in humanis figuris, et plebes martyrum, et congregationes uirginum, et omnem quidem diaboli tyrannidem dissolutam, christi autem regnum fulgentem, et poetarum et sapientum, et magorum matrem, et omnem speciem mathematicae inuenientem et aliis tradentem, hanc uidebis nunc inpiscatoribus decoratam. Et illa quidem omnia contempnentem, publicanum autem et tabernaculi factorem, ubique circumferentem, et crucem premittentem. Et haec bona non in ciuitatibus solum sunt, sed et in heremis magis quam in ciuitatibus. Etenim est uidere ubique regionis illius christi exercitum, et regalem gregem, et superiorum uirtutum urbanitatem. Et haec non in hominibus solum, sed et in muliebri natura effecta esse inueniet aliquis. Etenim non minus uiris philosophantur, non scutum assumptes et ascendentes equum, quemadmodum honesti grecorum legislatores et philosophi iubent, sed aliud multum difficilium suscipientes prelium. Commune enim eis et uiris est bellum, ad diabolum et potestates. Et numquam nature mollicies, impedimentum fit talibus complicationibus. Non enim corporum natura sed animae electione, haeae colluctationes iudicantur. Propterea et mulieres uiris magis certate sunt multociens, et preclara trophea statuerunt. Non ita est fulgidum caelum uario stellarum choro, ut heremum aegypti tabernacula undique nobis monachorum demonstrans. Siquis ueterem aegyptum illam, deo **aduersam**, et furentem, **elurorum** ancillam, et muscam caninam formidantem. Et trementem uidit, hic sciet bene christi uirtutem. Magis autem non necessitas est nobis antiquarum enarrationum. Adhuc enim reliquiae amentiae illius et nunc manent in demonstrationem prioris insaniae. Sed tamen hii qui antiquitus omnes ad tantam seipsum rescindebant insaniam, de caelo, et de his quae pro caelo sunt philosophantur rebus, et derident paternas consuetudines, et progenitores miseros estimant, et philosophorum nullam habent curam. Didicerunt enim ex rebus ipsis quia quae illorum quidem sunt, uetularum ebriarum sunt inuentiones. Vera autem philosophia et caelis digna, ipsa est quae per piscatores ipsis est annuntiata. Propterea et post tantam diligentiam dogmatum, et multum uitae proprium demonstrant studium. Existencia enim omnia exuti, et mundo omni crucifixi, et ultra rursus procedunt **corporis** operationi ad indigentium cibum utentes. Neque enim quoniam ieiunant et uigilant, uacare post diem dignum estimant, sed noctes quidem sacris ymnis et uigiliis, dies autem in orationibus et manuum operationibus consumunt, apostolicum imitantes zelum. Si enim ille orbem terrarum ad ipsum respiciente ut indigentes cibaret, et ergasterium assumpsit et artem adeptus est, et neque noctibus dormiebat hoc faciens, multo magis nos aiunt qui heremum assumpsimus, et nichil commune ad tumultus ciuitatum, quae in heremis sunt quietis uacatione habemus, in operationem spiritualem immorari iustum est. Verecundemur igitur omnes, et diuites et inopes, cum illi quidem nichil penitus habentes nisi solum corpus, et manus suas cogunt et litigant, impensas hinc indigentibus inuenire, nos autem decem milibus intus reconditis, neque superflua ad hoc tanimus. **Quam** igitur habebimus apologiam? Dic michi. Quam autem ueniam? Et profecto intellige qualiter hii antiquitus erant, et pecuniarum amatores, et castrimargi cum aliis malis. Illic enim erant lebetes carni, quarum iudei meminerunt. Illic multa uentris tyrannides, sed tamen ubi uoluerunt transmutati sunt, et ignem christi suscipientes, ad caelum repente simul transierunt, et callidiores aliis existentes, et ad iram et uoluntates corporum promtiores, **incorporales** uirtutes mansuetudine, et reliqua philosophiae impassibilitate imitantur. Et siquis in regione hac iuit, uidit quae dico. Siquis autem nondum iuit in tabernaculis illis, intelligat eum qui usque nunc in ore omnium est, quem post

Commented [ND19]: [fol.27rb]

Commented [ND20]: id est mardularum *add. super lin.*

Commented [ND21]: uel manuum *add. super lin.*

Commented [ND22]: [fol.27va]

Commented [ND23]: id est angelos *add. super lin.*

apostolos egyptus attulit magnum et beatum antonium, et reputet, quia et hic in illa regione natus est, in qua et pharao, sed tamen in nullo iacturam adeptus est, sed et diuina uisione dignus effectus est, et talem demonstrauit uitam, qualem christi leges exquirunt. Et hoc sciet quis cum diligentia superueniens, libro hystoriam uitae illius continenti, in quo et multam uidebit prophetiam. Etenim de his qui quae arrii sunt egrotant, et prenuntiauit, et dixit iacturam ex illis futuram, deo monstrante ei tunc, et ante oculos futura omnia subscribente. Quod utique maxime cum aliis est ueritatis demonstratio, id est nullum greearum hereseon, uirum talem habuisse. Sed ut non a nobis haec audiatis, litteris libri illius insudantes, omnia discetis cum certitudine, et multam erudiemini inde philosophiam. Hoc autem deprecor ut non transeamus quae scripta sunt solum, sed ut et zelemur, et neque regionem, neque educationem, neque progenitorum malitiam **premittamus**. Si uouerimus nobis ipsis intendere, nichil horum nobis erit impedimentum. Quoniam et abraham impium **patrem** habuit, sed non successit in iniquitate. Et ezechias, achaz, sed tamen hic amicus dei effectus est. Et ioseph autem in media tunc aegypto, sobrietatis coronas indutus est. Et tres pueri in babylochia media habundanti preiacente mensa, summam demonstraerunt phylosophiam. Et moyses autem in aegypto, et paulus in orbe terrarum, et nichil nulli horum factum est impedimentum ad cursum uirtutis. Haec igitur omnia intelligentes et nos, superfluas quidem has **scrutationes** et occasiones ex medio auferentes, eos qui pro uirtute sunt sudores tergamus. Ita enim et deum ad maiorem bonam uoluntatem attrahemus, et suadebimus in agone nobis cum cooperari, et aeterna assumemus bona, quibus omnes nos fiat fortunari. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND24]: uel causemur *add. super lin.*

Commented [ND25]: [fol.27vb]

Commented [ND26]: artium *add. super lin.*